

GAUDEO



John Carter Brown.

2/2/-



21

EPITOME RERVM GESTARVM in India a Lusitanis, anno superiori, iuxta exemplum epistolæ, quam Nonius Cugna, dux Indiæ max. designatus, ad regem misit, ex vrbe Cananorio, IIII. Idus Octobris. Anno. M. D. XXX.

Auctore Angelo Andrea Resendio Lusitano.

Louanii apud Seruatium Zassenum, Anno M. D. XXXI. Mense Iulio. Ad signũ Regni cœlorum.

J. F. van de Velde

EPITOME RERVM GESTARVM in India a Lusitanis, anno superiori, iuxta exēplū epistolæ, quam Nonius Cugna, Dux Indiæ max. designatus, ad Regem misit, ex vrbe Cananorio. IIII. Idus Octobris. An. M. D. XXX.

RESENDIVS LVSITANVS Conrado Goclenio viro præstantiss. S.

PETIS Conrade Gocleni, vt exemplū epistolæ missę ad Regem Lusitaniæ de iis, quæ nunc recens ad rubrū mare gesta sunt, latinum faciam. Petis tu quidem, sed is petis, qui mihi & iubere, & imperare potes. Equidem latinum faciā, grauate tamē, facturus minime, nisi tu, cui multū debeo, iuberes. Nam vt sileam de humilioribus Lusitanorū victoriis in India hanc fuisse vnam, nec præ cæteris dignā quę oīm prima vulgo ederet, duabus aliis ratiōibus merito ab hoc faciendo abstinerē. Primo, quod nostræ gentis ingeniū adeo præpostere verecundum sit in commendandis rebus a se bene gestis, vt pudeat referre, aut si referant, bona pars inde

decidatur ab hominibus conſcientia benefacto-
rum domi ſuæ contentis, ne etiam ea foris prædi
cent. Deinde, quod epiſtola hæc nõ tam fuit nar-
ratio rerum geſtarũ, q̃ epitome. Multo illi meli-
us, qui ſi quid proſpere egerunt, verbis cõmenda
re, & adaugere curant, & ſcriptis editis orbẽ con-
ſcium, poſteritatẽq; facere rerũ ſuarũ. Quod nõ
laudare, non poſſum. Conſulitur enim hiſtoriæ,
niſi modeſtiã excederet, & ſupra q̃ res habeat ni-
mia adfectatione creſceret commendatio. Noſti,
tametſi diſſimulo, quos nam intellegam. Cogor
autẽ in hac epitome hiſtoricũ potius agere, quã
alienæ interpretem epiſtolæ, vt interim topogra
phiæ ratio haberetur. Magna eĩ voluptatis pars
adceſſerit, ſi, quo res geſta ſit, ob oculos quaſi po
natur. Nam qui epiſtolã miſit, hiſtoriam nõ con
debat, atq; ob id, de hoc minimũ ſollicitus fuit,
quum ſcriberet ad regem locorũ peritum, quod
tametſi non eſſet, habet tamen qui terræ ſitũ nõ
ex libris modo, verum etiã experientia quotidia
na didicerunt. Regum noſti delicias, & aulicorũ
ambitionem. Circunſtant, digito oſtendunt, tum
demum beati, quum interrogãtur, & reſpõdent.
Scribã igitur bona fide, quod exẽplo ipſius epi
ſtolæ Nonii Cugnæ ducis Indici cõpertũ habeo.

Narra

REBVS INDIAE
NARRATIO

Quum a Lusitanorũ rege Ioanne, eius nominis
tertio, Nonius Cugna nobili & antiqua familia
prognatus, Indiæ dux maximus designatus esset,
classe electissimo milite stipata, ab Vlissipone sol
uit abhinc fere triennium. Vbi Cananoriũ regiã
Arianorum vrbem, ad Agaricũ sinum peruenit,
quãuis iussu regis constituerat expugnare Diũ,
quum potentissimã, tum superbiss. vrbem regni
Cambaiæ, quo nomine nũc Carmania vlterior,
& pars Arianæ adpellatur, tamen Indorũ nõnul
lis rebellantibus, & infestantib. vtrumq; maris
rubri sinum Turcis, & Rhomæis, optimũ ratus
est, si eos motus prius pacaret. Rhomæi vero vo
cantur partim Turcæ, partim Veneti, & Christi-
ani transfugæ, colluuies sceleratorum hominũ.
Vnde adparet Rhomęorũ nomen græca consue
dine penes istos, quoniã Romani sint sanguinis,
mansisse. Audiuimus elapso anno famã victoriæ
Nonii, bello nauali, contra Turcas & Rhomæos
quam ego quidem libentius exponerem tanq̃ spe
ciosiorem. Nam vt de illa nihil aliud dicerẽ, quã
quod est verissimũ, Superiore æstate terrifico &
insolito cymbalorũ sacrorum strepitu commotã
fuisse Antverpiam, quũ tamen eius nihil interes

set aliud

ſet aliud, q̃ amicæ gẽtis gratulari victoriis, ex hu-
iuſce rei nouitate, illius coniectari licet magnitu
dinem. Ea res permagna ſit oportet, quæ extero
rum calculis & iudicio cõprobat̃. Verũ quoniã
nec tu illam antiquatã fere petis, nec nos, præter
quam ſummatim, cõpertam habemus, ad recen-
tiora geſta feſtinabit calamus. Eo ipſo anno No-
nius Cugna dux max. deſignatus, Antonium Sil
uæriam, Diodocum Siluæriam, Hectorẽ Siluæ-
riã, quorũ hæc victoria tota eſt, in diuerſa Indiæ
loca miſit. Antonium, vt eã Arianæ oram, quæ a
Cananorio protenditur per ſinũ Agaricũ, Chau
lium vrbem, quaq; Indus exoneratur, ſinũ Can-
ticolpum, quem noſtri Cambaiæ vocant, præter
nauigaret, atq; incenderet vrbeis & oppida lito-
ralia, modo alterum eius ſinus promontorium,
qua Diũ ſita eſt, nõ attingeret. Is cõſcenſa claſſe
quinquaginta nauigiorũ, quorum quadriremes
erant duæ, actuariæ naues totidem, cæteræ libur
nicæ, & phaſeli quidã non maiores multo fluuia
ticis lembis, Indi caturés vocãt, profectus eſt. Se-
cũ nõ plureis nõgentis viris Luſitanis habebat.
Quoniã vero huius oræ celebriora oppida ma-
gnitudine, populo, diuitiisq; ſunt Surrate & Rei-
neliũ, vtrinq; ſita in altero illius Cambaiæ ſinus

promonto-

promontorio,ſuper flumen nō magnum,nec cer tū habeo ſit ne aliquod ex Indi fluminis hoſtiis, hæc primū adortus eſt.Cauens tamen vadoſum flumen, habilioribus tantum nauigiis intrauit. Iam ipſemet præiuerat celeri cataſcopio,& iacta bolide aquæ profunditatē pertentauerat. Vt per uentum eſt Surrate,quod vi.mil.p.diſtat ab hoſtio introrſus per flumen,aut potius æſtuaria an guſta,quorum magna pars maris refluxu,ſiccatur,vrbem oppugnare cœperūt.Quæ quoniam a Baneanibus, quod hominū genus Pythagoricam,de non obcidendis animalibus,diſciplinam pertinaciter adeo ſeruat, vt ne pędiculum quidē obcidere ſibi licere putet,et mercatoribus habitabat᷑,magis q̃ cętera,nō diu durauit oppugnatio, cedentibus & fugiētibus incolis relicta vrbe.Noſtri quum inibi mãſiſſent, poſtridie eius diei incē derūt vrbem,arſitq; ad ſolum vſq;.Interim maris adceſſiōe parāt milites inuadere Reineliū fere e regione in alio litore ſitū,flexus tamen fluuii facit vt diſtet duo mil.p. a Surrati. Erat vero ea vrbs,vt fertur,totius regionis nobiliſſima.Nulli heic Pythagorici Baneanes habitabant,aut imbelles viri,verum Machometani Naiteæ,omnium Cambaiæ populorum bellicoſiſſimi.Siquã

do

do enim terræ eius rex classem pararet, numerosiorem electioremq; militum manũ, ex hac vrbe colligebat. Viderãt ii Surratis oppugnationẽ, & incẽdium, atq; interea se ad vrbis suæ tutelã sedulo comparauerãt. Primum omnia capita viarũ, compita, & tribus fortissimis caudicibus, & tabulatis munierãt, exteriora vallo, & tormẽtis ęneis, tum ad arcendam portu nostrorum classem, tormentorũ numerum ingentem ordine conlocauerant. Ad hæc equites, supra quadringentos, præter peditatũ, sub ipsa vrbe iactu fere arcus chalybei, tanq̃ prælium, vt videbatur, cõmissuri, in ordine quisq; suo præstolabãtur. Iam nostri adpropinquabant vrbi, quum tormẽtis æneis excepti sunt, adeo crebris, vt miraculo reputetur intacta ab his nauigia fuisse. Profuit nõ parũ esse omnia biremes, & liburnicas, quas ferrei globi a bõbardis emissi trãscẽdebant. Prohibiti ergo ea parte litus prendere, quum equitatum, qui sub vrbe in planicie erat receptũ in vrbem vidissent, illuc impingẽtes egressi sunt, frustra iam barbaris prohibentibus. Cœpere itaq; vallũ & caudices oppugnare, nam hæc tãtum pro muris erãt, sed tormẽtorum vi, & vndiq; cõcurrente barbaro arcebantur strenue, donec crescente nostris indignatione

globo

globo impetuosius adunato, in vrbē irruptū est. Cæsi eo cōgressu ex barbaris quadraginta. Cæteri terrore hostis intra mœnia recepti, præsidio fugæ seruati sunt. Atq; grassantibus per vrbē pauci restiterunt, pauci quoq; inuenti, qui gladio obcūbere digni essent. Manserunt ibi milites eo die, dum deprædarentur vrbem. Nec mercibus quæ oneri classi essent, manus adiecerūt, licet passim inuenirent domos plenas cupro, ebore, & similibus, quorū ingentem copiā, si capaciora fuissent nauigia, secum vexissent. Inuenta tormenta plurima ænea, ꝑter ea, quæ ante cōmemorauimus, atq; adeo vbiq; maxima copia vasorū fictilium, quæ porcelania vocant, aliarūq; merciū Chinensium. Nam his præcipue cū regno Chinæ cōmercium erat. Domus plæræq; adfabre ædificatæ & expolitæ opere pulcherrimo, lecti quoq; aurati, indicia nobilitatis ciuiū. Ad hæc inuenta multitudo falconū auratis capitiis, ad auiū venationem, cui rei terra est aptissima. Est enim plana adeo, vt Scallabitani agri, quos adluit Tagus in Lusitania, nec gleba minus fertilis. Gignit præcipue triticū & oryzam. Igitur oneratis nauigiis ex æneis tormentis, selectissimis quibusq; reseruatis, cæteris in fluuiū, vbi ꝓfundior erat vorago, sub-

 mersis,

merſis, quũ milites adhuc a p̃da minime quieſce rent, veritus dux Antonius Siluęria ne natare nõ poſſent in æſtuario vadoſo vrbẽ incẽdi iuſſit, nec diſceſſit, donec in cineres redacta eſt. Combuſtæ ſunt etiã multæ naues onerariæ, & gauli, quæ na uigia Indi zambuccos vocant, pręter eas naueis, quæ in Surratis euerſiõe cõbuſtæ fuerant, quarũ nõnullæ refertæ erant mercibus, aliæ vacuæ. In cuſſit ea res terrorẽ regioni maximũ. His ita ge ſtis, noſtri æſtuarium ad naueis egreſſi ſunt, atq; inde præterlegentes orã Chauliũ verſus, venere Damoniũ oppidum ingens ſuper æſtuariũ & flu uium nõ magnũ, nobili & fortiſſimo caſtro. Mu rus latus erat pedes octo, quadratus, ſingulæ tur res, in angulis ſingulis, intus ciſterna aqua plena. Ibi etiã maioribus nauigiis extra relictis, cũ bire mibus & liburnicis ingrediuntur. Obcurrit autẽ nemo. Siquidem incolæ vt noſtros inſtare reſci uerunt, ex iis qui Surrati & Reinelio fugerãt, de ſerto & ipſi oppido, fuga vitæ conſuluere. Quare otioſius ibi res acta fuit. Primũ arietibus cõcuſſę valuæ caſtri, fortes quidem & ferratæ, vt autẽ ne minem ineſſe intus ſenſerũt, verſa manus eſt ad dirutionẽ, exuſtionemq;, donec oĩa ſolo æquaren tur. Nõnullis etiã nauibus & gaulis admotus eſt

ignis

ignis,ingenti præterea copiæ cæsæ materiæ,quæ in portu inuenta eſt.Par fortuna fuit oppidi alterius, & pagorum cõplurium in eodem æſtuario. Nauis itẽ magnitudinis pulchritudinisq; eximię cui in ora ædificatæ iam iã ſumma imponebatur manus,exuſta eſt. Egreſſi inde inuadunt in eadẽ ora vrbẽ Gaſnyiam ſitã in hoſtio fluminis alterius & æſtuarii.Ea cingebat̃ vndiq; cœnoſis ęſtuariis, & ſudibus denſo aggere, niſi ea parte qua fluuio imminebat,parte itẽ alia,qua exitus anguſtus patebat in cõtinentẽ. Heic ſtabant in armis equites CCCC. ſub ipſam vrbem,peditum vero quinq; milia,ſuis ſtationibus ad tutanda mœnia diſtributi erant.Dux non cõmiſit vt claſſis male tuto flumine ad vrbem adcederet,ſed ſexto ab vrbe ſtadio litus prendit, atq; ibi partitus milites, CL. in cuneo cõlocauit,ipſe cum reliquis in acie effigiem cornuũ referebat potius, q̃ vere præſtabat.Mixtus cuneus eſt equitatui,& aliquãdiu varie pugnatũ,tãdem ceſſerunt barbari.Ceciderũt eo primo congreſſu ex equitibus XV. ex noſtris autẽ quinq;. Noſtri dum fugiẽteis inſequuntur, eodem impetu in vrbem irruerũt.Quem impetum quũ non ferret peditatus,terga etiam dant, & per eam portam,per quam in cõtinentem exi-

tur,fuga seruati sunt. Obcisi & capti sũt viri CC. Vrbs tota incensa & euersa. Naues similiter cõplures, & gauli, partim cæsa materia, partim annona aliisq; rebus onerati. Hæc p̃ter, multa alia oppida & pagos incenderunt eodem litore, est enim regio frequẽs, sed quoniam minus hæc sunt insignia, nec nos quoq; referemus. Summa nauium combustarũ, & gaulorum, CCC. quarũ complures oneratæ mercibus, nonnullæ annona, hæ Dium, illæ ad Arabicum sinũ nauigaturæ erant. In partem Lusitaniæ regis præter alia, cesserũt, captiui numero CLX. viri remigio strenui. His peractis nostri adnauigarũt in insulam Bazaim in eodẽ tractu, vt illic dulciores aquas classi prouiderent, exigerentq; tributa Bandaratii, Tanæ, & Carangiæ, vrbium, quas Hector Siluæria tributarias fecerat. Atq; hic quidem Antonii Siluæriæ per eam oram excursus.

Nunc ad Diodocum properãdum, cui data erat ꝓuincia arcendi hostis ab ea ora quæ a Cananorio ad extremum vsq; Narsingæ promõtorium excurrit. Tractum siquidem illum Arianorũ, qui in oceanum longo seductu insinuat, Narsingam nostra ætas adpellat. Crescit enim in eo promontorio piperis magna copia ad opidum Cailen, &

cogno

cognominem fluuiū, atq; inde inuehitur a Rhomæis & Turcis Mecham, & Alexandreiā, & Venetias. Quin & reportandarum mercium aliarū gratia, indigenæ ipsi exportāt. Omniū vero maxime, quidam semiregulus mercatorū Indiæ potentissimus, Chetinus illic vocatur. Is in Mangalorio oppido, non ꝓcul a Cananorio vrbe regia, castrum habebat super mare, ædificiis, viris, armis, tormentisq; munitum, Infestus nostris, Turcis amicus, ad quos naueis suas aromatis oneratas mittebat quotannis. Quod vt ne fieret, cauere volens Nonius Cugna, Diodocum classe mediocri obseruare iussit oram Cailes, vt quū Rhomæorum classis egrederet̃, illi obcurreret. Quæ quoniam aliquanto plusculum morabatur egredi, receptis a Nonio literis, Diodocus Mangalorium contendit. Quo perueniens ad vii. Calendarum Aprilium, quia portu arcebatur multitudine sagictariorum, & funditorum castrum tuentium bene ordinata statione, & bombardaꝝ fragore terribili, duobus fere passuū milibus ab oppido, iactis ancoris egressus est cum viris CCXL. quorum CXX. æneis machinulis, vulgus sclopetas adpellat, vtebantur. Oppidani, castro, vt arbitrabantur, viris & tormentis probe munito,

ipsum

ipſum oppidum caudicibus cõtextisq; trabibus, & tormentis tutabantur. Nec eo contenti, egreſſi ſtatione, excipiunt venienteis. Incruduit prælium aliquantiſper in campo, ſed vrgentibus noſtris, illi nonnullis cæſis, pluribus vulneratis, ad ſtationem ſe recepere. Vnde tormentorum magiſter quum ignem adhibere, & iaculari meditaretur, Luſitano quopiam ſerpentin ılam æneam exarmante, ictus interiit. Commodum ergo præbita obcaſione noſtri irrumpunt in oppidum, prædantur, euertuntq; ſingula, atq; adeo ſubceſſu felici adrecti animis ad caſtrum oppugnandum adcinguntur. Illud quidem forti muro cinctum erat, tum per murorum minas lapideæ quædam mãſiunculæ exterius prominentes, vnde ſagictis, veruttis, ſerpẽtinis, ſaxis, pleniſq; ollis nitri tormentarii adhibito igne, noſtros arcebãt ſtrenue. Nec noſtri ſegnius, pars machinulis æneis impetere, pars molareis fuſtibalis cõtorquere, alii ſcalis cõtendere in murum, infringere alii portas arietibus, donec barbari deſperatis rebus, in flumen ſe ſaltu deiicientes, nando pars euaſerunt, pars intus cæſa eſt, perfractis iam foribus, alii præobcupati a liburnis, & phaſelis iam adpropinquantibus in ipſis vndis obciſi ſunt, inter quos ipſe Che

tinus

tĩnus castri dominus. Capta sunt in castro, & in statione illa oppidana, LX. ænea tormenta. Castrum refertum erat cupro, corallio, hydrargyro, pannis coccineis, & sericis heteromallis, quos vulgus villutos adpellat, quæ a Mecha inuehebantur. Erant & aliæ merces quam plurimæ, copia nitri tormẽtarii, adhęc annonæ, cæterorumq; victui necessariorum. Ex quibus oneratis nauigiis, quum capacitas non vltra permitteret, & adhuc præda non temperarent milites, Diodocus receptis ad nauigia tormẽtis, iussit oppidum & castrum incendi. Ea vero pars muri quę super mare erat lapide quadrato quum igni resisteret, tormentis diruta est. Combustæ sunt in portu onerariæ naues XIII. Ex Lusitanis vulnerati sunt nõnulli, desideratus nemo. Hoc quidem factum maximam in India Lusitanorum rebus commoditatem attulit. Nam semiregulus iste indies fiebat superbior, & notior diuitiis, & potentia, & quotannis Mangalorii Rhomæis onera dabat, aut ipse naueis suas pipere onerabat in Mechã. Iam Malabares Indi, in illum sacram figebant ancoram. Quo sublato, fracti animis a nouis motibus temperant.

Post hæc

Post hæc Diodocus Cananorium rediit, atq; nauigia exonerabat, quum egreditur classis Callicutii oryzam inuectura. Erant autē LX. naues, quas Indi paroos vocant, nobis parones sint latino nomine. Obcurrit illis Diodocus biremi vna, liburnicis sex, non enim exonerata erant nauigia cætera. Quoniam vero reflabat Diodoco ventus obciduus, quo insequi cogebatur eos, quibus notus flabat ꝓsperior, quantum licuit tonsarum remigio adcessit, tormentisq; submersit parones sex, alii nonnulli bombardarum ictibus semi fracti & hiantes, plures intacti euaserunt. Vna ex liburnicis quæ biremē remigio anteuerterat submersa est. Nam quum Malabares Callicutii harpagonem in eam iam iniicerent, & vellet retrouerti, oppressa a maioribus nauigiis, receptoq; intra se mari, obruta fuit. Perierunt in vndis VI. aut VII. viri, qui a sociis seruari nequierant. Ioannes quoq; Siluæria, frater Diodoci, saxo tormentario a paronibus eiaculato vulneratus est, at curatus. Sic euasit classis Callicutia aura nostris reflante. Diodocus vero Cochinum ad ibi hyemandum petiit.

Hector Siluæria XII. Cal. Ianuarii, Goa, nobili vltra Chaulium vrbe, ꝓfectus Syagrum extimū

ꝓmon

ꝑmontorium Eudæmonis Arabiæ, cum quatuor longis nauibus, duabus celocibus, quas Lusitani carauelas vocant, liburnicis quatuor, atq; in his viris DC. Eoq; præterito, Zocotoram insulã in Azanio mari attigit, caussa aquæ dulcis recipiẽdæ. Cæteꝝ, quando nos etiã situs mouet locoꝝ, distat ea insula a Syagro ꝑmõtorio CCLXXX. mil. p. Plinio auctore, veteribus Dioscuriada nominata. Inde classem diuisit ĩ parteis ante ipsum sinũ, ne Turcaꝝ classis egredi ingredive, nisi visa a nostris posset. Heic quũ sic classis sparsa prę ternauigaret, fortissima quædam Chetini nauis, quã superstes adhuc e Mangalorio Mecham miserat pipere, gariophylo, cynnamommo, zinzibere, nuce myristica, & macere oneratam, Hectori obuiam fit. Hæserunt missis vtrinq; harpagonibus, atq; pulchre ab aliis defensa diu, impetita ab aliis. Sed præualentibus nostris capta est, obcisis quotquot in ea erant. Quo factum est, vt toto eo anno nihil quicq̃ piperis per Arabici sinus angustias inuectum sit. Habuit præter hanc, nõ paucas prædas alias, sed minutiores q̃ vt referre libeat. Non pigeat tamen & hoc memorare. Nauem quãdam Dio profectam, refertamq; viris albis, aliisq; Pellaconensibus, quum cõspicatus es-

 set Mar-

ſet Martinus Caſter, nauarchus longæ nauis, cui nomen D. Hieronymus, adhæſit iacto harpagone, atq; ipſe primus oīm ingreſſus eſt, aliis ſequētibus. Pręliū diu anceps, & nauis ſtrenue adeo defenſa, vt ipſe Martinus Caſter & X aut XII Luſitani alii a Turcis obciſi ſint. Nauis tñ ſat plena diuitiis, capta eſt, & viri ad vnū obciſi. Nec caruerunt ſuis prædis alia nauigia ſparſa, ſed nos celebriora recēſemus. At vero quoniā Dienſis & Cābaienſis claſſes, adcepto noſtrarꝛ nauium nūcio, egredi nō audebant, Hectoris Siluæriæ claſſis in inſula Mete ſiue Barbara, vt Ptolemæus vocat, ſinus Trogloditici, cōgregata eſt, vbi in fine prædarꝛ dulces aquę Nonii Cugnæ præcepto prouidendę erant. Ab eo etiā inſtitutum fuerat, vt Hector inde nauigaret Adenam e regione ſitā in Eudæmone Arabia, & ſi quas naueis, gauloſve inueniret maioris æſtimatiōis momēti ve caperet, tentaret præterea vellet ne rex parere, & tributū ſoluere regi Luſitanorꝛ, obcaſionemq; quācunq; tempus offerret, raperet. Eſt autē Adeña, ſiue vt a noſtris hominibus dicit͛, Aden, vrbs regia felicis Arabiæ, nō ꝓcul a Poſidio ꝓmontorio, paulo exterius, q̄ vbi Ptolomæus Saninā vrbem ponit, non tā magnitudine, q̄ natura & operibus muni-
tiſſima

tissima. Magnitudo quidē, citra lariū est sex miliū, vt adcepi, verum tribus partibus altissimis clauditur iugis, & perpetuis, solumq; auibus peruiis. Ipsa inter iuga montis, vt coniectamus, Cabubathræ, quoad conuallis qua sita est permittit, extenditur, atq; ob malignius spatiū, quod in latitudine crescere negatur, ædium celsitudine, & viarum angustia compēsat. Nam ædes Vlissiponensi modo illic exstruuntur. Iam ad mare, qua parte solum oppugnabilis est, muro, & castris ad miraculum fortibus ambitur. Cæterum quia in cōtinentem nullibi patebat exitus, mons a summo iugo ad radicem vi discissus est in gurgitis angusti modum, turribus, & ferratis portis emuniti. Habet intus cisternas complureis, ingentem vnam extra muros ad latus, quam domum aquæ vocāt. Aqua camelis importat̃ quotidie. Estq; dies, quo camelorum duo milia, mille & DC. mille & quingētos numerare quis possit. Hi si interdiu veniunt, intus in vrbe exonerant̃. Sin nocte, in illa exteriore cisterna, quoniā clausis murorum portis quemquam ingredi non licet, aut egredi. In summa, talis vrbs est, vt toti mari rubro, siue Arabico sinui, possit facile dominari, ipsaq; negante nulla classis eius maris

angustias penetret. Quare nostri iam olim hanc frustra pertentarunt, expugnauerunt semel duce Alphōso Alboquerco, sed excedere coacti sunt, vrbis viribus se integrantibus. Sed ad narrationem reuertamur. Hector Siluæria a Mete insula prædas misit Mascaten oppidum situm in promontorio Corodamo, altero sinus persici. Nam huc se vēturū ex Adena sociis declarauerat. Profectus igitur a Mete peruenit Adenam nonis Aprilibus. Vbi iactis ancoris, regii nuncii aduenerunt aduentui eius gratulatum, adferentes ad naueis boues & arietes multos, frugūq; copiam, regio munere. Atq; per duos ciuium nobilissimos, rex Hectoris Siluæriæ animū requisiuit, quid nā vellet, quidve facere ꝓponeret. Hector, misso etiam munere quo regem intellexit gauisurum, respōdit, se missum a Nonio Cugna duce Indiæ maximo designato, in ipsius regis auxiliū cōtra Rhomæos & Turcas, quoniā resciisset ipsum ab illis oppugnari. Siquidem Rhomæi X. triremibus, actuariis nauibus & gaulis XL. improuiso Adenam obsederant mari, terra vero equitatu & peditatu maximo, copiis videlicet auxiliaribus. Nā ipsi Rhomęi DC. erant, plus minus. Durauit obsidio menses quinq;. Oppugnabat quotidie mari præ

ri præcipue, atq; adeo terra, exstructo in modum muri tabulato cõtextis trabibus, ad exteriorẽ cisternam, & tormẽtis conlocatis, quorũ quatuor erant basilisci, tormentorũ omnium genus impetuosissimũ, quibus murũ totum ea parte diruerant, propeq; expugnauerant vrbem, nisi defensa pertinacissime fuisset, At vt rescitum est classem nostrã aduentare, Rhomæi obsidiõe leuata discessérunt, desideratis ex ipsis CC. præter eos qui ex auxiliis mortui sunt. Ciuium fere turba pauperior fame & siti periit. Addebat etiam Hector, se maiorem classem duxisse, verũ quia in insula Zocotora leuatam audiisset obsidionem, partẽ classis alio cum prædis misisse. Nũc si ipse rex vellet parere & soluere honestũ aliquod tributum Lusitanorũ regi, vt & alii reges Indiæ, ꝑ certo haberet se semper a Lusitanis contra Rhomæos, & Turcas, aut quamcũq; aliam nationem, tutandũ. Ad hæc rex, Dicite, inquit, Hectori, me dignum memet arbitrari cui gratia habeat͂, quod bellũ sustineam cõtra Rhomæos non tã mihi, q̃ ipsis Lusitanis infestos. Rhomæos hoc agere, vt aut amicitia, aut vi Adena potiant͂, vnde tuto in Indiam nauigare possint, tutariq; cõtra Lusitanos mare rubrũ. Quare satis supq; erat me cũ Rhomæis,

& Tur

& Turcis amicitiã nolle, interdicere illis vrbe & regno meo, at Lusitanorũ cupere amicitiã & societatẽ, ne etiã parere & soluere tributũ exigar. Cui cõtra respõdit Hector, illud esse verissimũ, Rhomæos conari illac irrumpere in Indiã contra nostram voluntatem, idq; adeo Venetos & Turcas eniti maxime. Verũ si a Lusitanis iã omnino profligati & destructi non erant, in caussa esse, nusq̃ certo loco eosdẽ inueniri. Quod si Adena in Lusitanorum esset arbitrio, haud dubiũ, quin aut profligarentur, aut penitus Indicã contentionẽ relinquerent, quũ nullibi certius q̃ ad angustias eius maris intercipi possent. Ideoq; ipse videret, & sibi consuleret, quodq; optimũ factu iudicaret, maturius eligeret. Hæc & similia respõdente Hectore, additis blande minis, & iterum iterũq; nũciis hinc inde cõmeantibus, adquieuit rex, vt pareret Lusitanorũ regi, solueretq; quotannis, iure tributi Seraphinorũ decem milia ponderis & valoris Ormuzii, quæ regia vrbs est, cognominis insulæ inter sinus persici angustias. Ea summa latina supputatione quingenta facit sestertia. Gratis etiam dedit statim Seraphinos mille quingẽtos, id est, sestertia LXXV. vt Ormuzii ex puriori auro fieret corona, quã regi Lusitaniæ mittit in symbolum

lum amicitiæ & obedientiæ. Scriptæ ſuper ea re ſunt tabulæ, ſubſcribentibus rege & Hectore Silueria, quuius exẽplũ Nonius Cugna ad regem Luſitaniæ miſit. Id ad nos perlatum non eſt. His ita ſe habentibus, rex Xaerii ſcripſit ad Hectorem, ne grauaretur regnũ ipſius adcedere, quod eſt in exteriore flexu Arabici ſinus in regiõe Homeritarum, iuxta Ptolomæi traditionẽ, ſe pariturum Luſitanorum regi, & penſurũ tributum vt cõſtitueret, daturum præterea quidquid tormentorum æneorũ Xaerii & Dopharii haberet. Profectus igitur Hector, petẽte rege, ibi liburnicam vnam reliquit cũ triginta viris Luſitanis. Quæ finita hyeme Cananorium adplicuit cum literis regis ad Nonium Cugnam, quibus nunciabat Rhomæos poſt Adenẽſem obſidionẽ partim reuerſos Iudam, quæ eſt circa Mecham in intimo Elanitis, ſiue Arabici ſinus receſſu. partim & plureis, quum reuerti Iudam non auderent, obciſo proditorie duce a Turca deſignato, Zebiben adiiſſe, oppidum in continenti, Sic eorum lingua, ab vuis paſſis, quibus abundat, ficto nomine. atq; ex his nonnullos obciſos in itinere ab incolis terræ illius. Nã eorũ deprædatiõibus fatigati incolæ, ſummo eos odio ꝑſequebantur. Horũ præ

cipuos

cipuos Muſcophaaũ, Soſcum, Reiſolemanũ, & Zopharem theſaurariũ eius, adiiſſe Camarꝝ inſulã in interiori ſinu, ꝓcul ab anguſtiis, & ibi adcepiſſe eos nunciũ magni Turcæ exigẽtis omnia tormenta ænea, & tricenta ducatorꝝ milia, id eſt, centies vicies ſeſtertium, quæ ab ipſo adceperãt ad bellum Luſitanis inferendum. Quod niſi facerent, nuſq̃ euaſuros minabaẽ, quin vltimum luerent ſupplicium. Ipſos vero nũcio hoc interfecto XXX. milia, hoc eſt ſeſtertia mille ducenta miſiſſe Cairi gubernatori, quo intercedente reconciliarentur Turcæ. Cepiſſe quoq; ad XXVI. nauigia mercatorꝝ, quæ ab India Mecham nauigabant, quibus impoſuerint magnũ tormentorum numerum, quorꝝ multi erãt baſiliſci. Verum ad egreſſum anguſtiarꝝ rubri maris periiſſe illis nauem, in qua maior bombardarꝝ pars vehebaẽ, & inde ꝓfectos verſus Indiam. Atq; hæc quidẽ rex ad Nonium ſcribebat. Cæterum liburnica, illos circa Xaerii litus inuenit gyris & flexibus cõtendentes ꝓmontorium ſuperare, reſiſtente vento. Quin vt cõtinui flabant ſubſolani, & vulturni, eo anno minime Diũ adnare poſſent. Idẽ quoq; retulit Hector Siluæria qui orã Dii ad finẽ vſq; menſis ſeptembris preter nauigauerat exſpectãs

illos

illos. Proponebant hyemare Xaerii, quamuis dubii num facerent, rege nostram amicitiā expetente. Quod si phiberent, lecta ora Aethiopię Mombazam cōtenderent. Quædam tamē nauis cum centum ex illis, Cābaiæ adpulit mense Augusto, nec ī vrbe Dio recepti sunt, vt retulit Iudęus quidam, quem Nonius ad explorandā Diū miserat. Iubebat illos rex Cābaiæ ire Surrate. Quin alii fere CC. quos rex fecerat prætorianos milites defecerunt ad regem Maiuliū. Sunt autē Maiules, gens Tartarorũ, a Persidis cōfinio, per Gedrosos, & Arachosios efusi, viri bellicosi nimis, & qui regnum Sindæ expugnauerint, quod inter ipsos & Cambaiā omniū regionis eius est maximū. Peruadunt iam Cambaię regnū paulatim. Atq; vno prælio, militū regis Cambaiæ XXX. milia cōfecerūt. Qui ppterea tristis & perterritus est, quū præcipue Rezbutii Maiulibus iūgātur. Id si fiat, non longo tempore regnū Cambaiæ expugnabunt. Cæterũ vt ad Lusitanos redeat oratio, Hector Siluæria quū pficisceret a Mete, vt ante dictū est, classem cū prædis iusserat ire Mascaten, relicta ibi liburnica vna cū naui quadā ex captis Quod vt Rhomæi resciuerūt, mittunt illuc triremem cū viris XXX Rhomæis, sclopetariis, & sagictariis, & Arabibus decē. Nostrorũ quindecim,

qui

qui in liburnica erant, cõspicati triremẽ ꝓcul, pu tãtesq; esse ex nostris quãpiã, egrediunt ad illos. At cognito errore, se cõparãt ad ꝑliũ, iactis vtrinq; vncis. Præliatũ est tot horis, quoad vtrisq; sublato signo ad halitũ recipiẽdũ quiescere placuit. De inde instaurato prelio, triremis capta est, viri oẽs obcisi, ꝑter Lusitanũ quendã cognomine Boccar rũ, q a Christiana religiõe ad ipsos Turcas defece rat. Hic in vndas desiliẽs clamore maximo serua ri flagitabat, qa Christianus esset. Ductus est Go am, luiturus capite suppliciũ publice. Ex nostris desiderati duo, cæteri oẽs vulnerati euaserũt. Cõ gregata itaq; classe apud Mascatẽ, vt cõuenerat, Hector Cananoriũ reuersus est. Dedit in ærariũ regis Lusitanoꝝ ex ꝑdis XXXII. milia numũ au reoꝝ, quos Indi pardaos vocãt, ad latinã rationẽ, duodecies sestertiũ. Vrbs Diũ, vt scribit Nonius, in sua manet fortitudine & supbia, secura Lusita noꝝ, quos nõ credit cõmissuros, vt se oppugnent. Atq; adeo hæc cõfidẽtia Nonio placet, datq; ope rã prudẽs vt securior sit, quo incautã inuadat. Habes Cõrade Gocleni sũmã rei totius, si minus latine aut ordinate, tuũ erit boni cõsulere quãdo & exẽplũ ipsũ epistolę minus adhuc ordinẽ serua bat. Et ĩ re mihi male cõpta, seriẽ narratiõis maio ri ordine texere nõ potui. Cæteꝝ orõem vbi hæc

sub

ſubiecero, cludã. Quũ hæc iã, vt petiueras, ſcripta ad te deferre meditarer, cõmodũ lr̃is Martini Ferrariæ mei, adoleſcẽtis bene eruditi, mireq; cãdidi, quuius patruus ĩ Belgica Luſitanæ præeſt negotiatiõi, ſũ factus certior, delatas ab Alexãdreia lr̃as ad ipſum negotiatiõis p̃fectũ, q̃bus nũciat̃ Luſitanos abſolute reꝝ ĩ India potiri, CC. nauib. mare vltro citroq; p̃uadere, Turcæ copias male ibi mulctatas, illiuſq; tyrãnidẽ tota India depulſã, ideoq; ſuſpicari Diũ a nr̃is expugnatã, certo tñ neſcire. Luſitanũ nomẽ Turcis eſſe capitaliter odioſũ. Ipſoꝝ tyrãnũ, q̃ rumor heic etiã creber eſt, ad halce vindicãdas iniurias, ſibi a noſtris hoĩb. inlatas, feſtinare, atq; adeo cũ Pãnoniis, ob id pactas inducias. Id ſi veꝝ eſt, neſcio me hercules, q̃n opportuniꝰ Chr̃iani principes, ſi religiõi deeſſe nolint, eccleſiæ ruinas vindicarẽt. Nã hoſtẽ plurib. locis ĩpetitũ, nemini dubiũ eſt ĩfirmiorẽ multo, q̃ fuerit huc vſq; futuꝝ. Atq; vtinã Europa tumultibus his, & inteſtinis diſſidiis in melius cõpoſitis, tãtillũ ad ſe colligẽdã reſpiraret, ſpes erat rẽpub. ex cõlapſa reſtitutũ iri, eaq; vulnera curari poſſe, quę nup̃ adcepta maiori cũ dolore recordamur. Nã ſpẽ recuperãdi Græcoꝝ, ne iã Aſiæ, Libyæq; dicã, ĩperiũ, regũ alioꝝ in alios inuidia, & reꝝ ĩter ſe publ. diſcordię, mihi oĩo ademerũt. Sed hęc, ad muſaꝝ cãdidatos nihil. Vale. Louanii XI. cal. Iul. M.D.XXXII

¶ Quoniã non nihil chartæ supererat, amice lector, addidimus ex poemario nostro aliquãdo ꝑditur in lucem, siluulas halce duas, scriptas nuper ad Henemannum Rhodiũ, præpositũ Rigensem, oratorẽq; ad Cæsarem, Liuoniensis Archiepiscopi.

Resendius Lusitanus Henemãno Rhodio.

Quid non longa dies mutat? & orbita
Seclorum, toties axe volubili?
Effectumve labor non dedit improbus?
Virtusq; æmula gloriæ?

Heic olim fuerant arua feracia,
Quo nunc nauifragum flabra agitant fretum.
Impressu heic rigidi vomeris ingemit
Bos, quo puppis arauerat.

Sic quondam eloquio Græcia nobilis,
Nunc sub barbarici seruitii iugo,
Atq;, heu propudium, pressa tyrannide,
Linguæ dedidicit decus.

Contra, præteritis barbara seculis
Quæ tellus fuerat, se assidue polit.
Sic titillat honor, sic stimulum & facem
Vincendi studium iniicit.

Atq;

Atq; vt ne memorem quas poteram plagas,
Quis iam Sarmatiam, vel Scythiam audeat
Terram vaniloquus dicere barbaram,
Quæ te docte Rhodi tulit?

Quæ te docte Rhodi, te tulit, eu nimis
Plectentem facili carmina barbito.
Quo nec blandius, aut ora Propertius,
Aut Naso ipse resolueret.

I, nunc multifidum Danubium Tybri
Aude spernere, te vincit vt amnibus
Sex denis bibitis, sic Rhodio edito
It par, aut sequitur prope.

¶DE Eodem

Sulmonis gelidi exulem quum alumnum
Fleret Calliope Latina, harenis
Sepultum in Geticis, vagos per Histri
Mæandros Scythici, graui querela
Dixit, barbara terra & ominosa,
Redde heu, redde meum mihi. querentem
Ipse amnis fluuio audiit sub imo,
Caputq; exeruit virente fronde
Præcinctum salicum, manuq; barba
Rorantem fluuium exprimens ab vda,
Quid nymphe toties, quid innocentem

Incus-

Incusas patriam hanc, ait? nec ista
Quem defles, tibi sustulit, magisq;
Dilexit. series iniqua fati,
Atq; illum heic Atropos nocens peremit.
Sed ne fle dea pulchra, neue ocellos
Hos corrumpe. dabit tibi poetam
Tellus hæc similem, & parem priori.
Sic fatus senior, caput sub vndas
Immersit gelidas. Recepit omen.
Et post secula quindecim peracta,
Quum promissa reposceretur amnis,
En Musæ Rhodium dedit poetam.
Amplexa est dea, & hoc superstite, inquit,
Nihil iam Scythiæ horreo pruinas.

¶Henemannus Rhodius Vrbindagineus
Resendio Lusitano suo.

Docte cliens Phœbi, doctarum cura sororum,
Nobile Pieria nomen adepte tuba,
Et decus, & celebris laudatæ gloria terræ,
Qua Tagus auriferas eiaculatur aquas,
Et qua pernices pia parturit aura caballos,
Et bellatores sæpe creauit equos.
Quid te barbaricū super æthera ferre poetā,
Et iuuat in laudes soluere vela meas?

Bar

Barbara, ſi neſcis, Liuonia patria noſtra eſt,
  Qua ſtupet ad ſcythicas noſter Apollo niues.
Et iacet Euxini deſpectus ad hoſtia Ponti,
  Vnde tulit ſacram dux Pagaſæus ouem.
Non ego Naſonis de vertice ſerta reuulſi
  Laurea, nec ſacris me dea tinxit aquis.
Nec ſedet ad noſtras cũ fronde Propertius aras,
  Ceſſurus muſis docte poeta meis.
Sed tibi cõueniũt, cui iã noua fama parata eſt,
  Non mihi, quæ Rhodio fingis ineſſe tuo.
Tolle tuas laudes, nos victi lampada curſu
  Tradimus, Aeoliæ fama ſecunda lyræ,
Dũ mea thura ferent, tua pumice raſa legentur
  Carmina, Pieriis grata futura viris.

FINIS

